

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum  
Indultu Facultatis Inclytiae Philosophicae In Celeberrima  
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.  
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

**Lipsiae, 1698**

**§. V**

**urn:nbn:de:bsz:31-102642**

citer potest; vel ita, ut similis in obvenientem casum ratio cadat, & hanc J.Cti Romani *formalem* dicunt; vel eadem planè aut major etiam ratio in eo occurrat, quam *virtus* dicunt. *Restringenda* interpretatio legis tum adhibetur, quando verba legis latius patent, quam ejus sententia; seu quando plus scriptit legislator, quam sensit; tum enim verba laxa coercenda, & ad certos solū causas restringenda sunt. *Usualis* etiam datur legis interpretatio, quando nempe certam interpretationem usus recepit & comprobavit; unde & optimum legis interpretetum usum J.Cti Romani vocant.

§. V.

Lex est vel *imperfecta* vel *perfecta*. Illa dicitur, quæ prescribit, quid faciendum vel omittendum sit, sine adjecta in transgressorem poena; qualis fuisse dicitur Lex *Cincia*, in cuius fine hac clausula habebatur: *Qui secus fecerit, improbe fecisse videbitur.* Ubi tamen vide in contrarium euntem *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. 6. §. 14.* Regulariter itaque omnis lex perfecta est; seu in ea non solū, quid faciendum vel omittendum sit, prescribitur, sed & poena constituitur, quæ aberrantem ab ejus norma manere debeat. Quæ pars legis posterior *sancio* alias à J.Ctis vocatur. Nimirum duarum harum partium una non potest absque altera esse. Nec enim sufficit prescribere alicui, juxta quam regulam metiri suas actiones debeat; sed præterea desideratur, ut aliquid sit, quò ad agendum legi conformiter subditū impelli possint; Neqve satis est, penam alicui intentare, nisi is simul sciat, in eius actionis commissione, vel omissione ea metuenda sit. Ceterū vis obligandi, seu strigendi alicujus conscientiam, & facultas malum in casum transgressionis repræsentandi, est in legislatore, seu eo, qui summo imperio in civitate gaudet. Quamvis executio poenæ in legis violatores statute sepe numerò soleat etiam aliis, utpote regularites Magistratus concedi.

§. VI.

Objectum seu materia legis sunt (1.) *Res indifferentes* & *arbitrarie*; nisi per posteriorem legem prioris decretata confirmantur. (2.) *Possibles*, & quidem tam *physicæ*, seu per rerum naturam tales, quam *moraliter*, h.e. ut nihil turpitudinis involvant; Haec enim moraliter asti-